



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

69 Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto
corde me scrutabor mandata tua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

dine constat, de dulcedine nihil; vt prorsus ad suauitatem spiritus tui, anhelans osculari me petam ab osculo oris tui: in cuius tactu perfusis labijs pinguedine gratiæ specialis, sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis te laudet os meum. *Psal. 62.*

69 Multiplicata est super me iniquitas superbiorum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Quam multiplex, quam importuna, quam molesta sit hæc superbiorum iniquitas, id est, præcipuè malignorum spirituum, nouit omnis, qui in spiritu ambulat. Aduersus quam iniquitatem nullū efficacius perfrugium, nulla turris fortior, quam scrutari mandata tua: sed scrutari in toto corde. Sic enim & ipse statueris mihi turris fortissima: vnde mille clypei pendunt, & omnis armatura fortium, aduersus quam frustra omnia tela nequissimi ignea iaciuntur. Et sagittæ paruulorum sunt plagæ eorum. Tu enim es robur meum, petra mea, propugnaculum meum, & liberator meus, Deus meus, rupes mea, clypeus meus, cornu salutis meæ, arx fortitudinis meæ. In quo etiam experior suauitatem, & bonitatē, de qua tam multa locutus sum: cui vtinam vel ex parte respondeam. Exigit enim ipsa à me,

*In Deo
ab inimicis
max.
Cant. 4.*

Psal. 17.

**Cui debe-
tur gra-
tiarum
actio.**

Psal. 12.

**Benedi-
ctio.**

Psal. 117.

**Magnifi-
catio.**

Primò, gratiarum actionem pro acce-
ptis miserationibus, iuxta quod scriptum
est. Cantabo Domino, qui bona tribuit
mihi.

Secundò, benedictionem. Non enim
cessat te benedicere, & laudare quæcunque
recogitat misericordias tuas. super se: sed
confitetur tibi, quoniam bonus, quoniam
in seculum misericordia tua.

Tertiò, beneficiorum magnificatione,
& exaltationem: quoniam beneficia tua
magna, frequentia, & innumerabilia sunt,
quæ in immeritum contulisti.

70 Coagulatum est, sicut lac, cor eorū:
ego verò legem tuam meditatus
sum.

**Duritiem
quæ signi-
ficent.**

Ezech. 3.

Ezech. 7.

Iob 41.

Quidam intelligunt incrassatum, indu-
ratum, vt duritiam cordis significet.
Sed quamuis lac valde coagulatum sit, mi-
nus opportunè accipitur ad duritiem signi-
ficandam. Multa sunt, quæ congruentius
duritiem exprimant: quam Scriptura la-
pidi, silici, adamanti, incudi comparat. Vt
adamantem, & vt silicem dedi faciem tuā,
dicitur Ezechieli. Cor suum posuerunt vt
adamantem ait Zachariās. Et in Iob. Cor
eius indurabitur tanquam lapis, & strin-
getur quasi malleatoris incus. Hæc & eius-
modi sunt, quæ duritiem aptius signifi-
cent. Commodius intelligeretur heberu-
do